



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1549. usque ad annum 1551 - ... Atque Tabulis
Chronologicis Ab Anno Christi 1000 Usque Ad 1595 ...

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1770

VD18 90118537

§. 8. Papæ consilium de Synodo Tridenti congreganda.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66584](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66584)

§. VIII.

Sæcul. XVI
A.C. 1550.*Papæ consilium de Synodo Tridenti
congreganda.*

Tandem Oratoribus hisce abeuntibus *Pallav. l. c.*
 Mendoza, qui Romæ Cæsaris nomine Legatum agebat, Mense Aprili ad medium vergente, Papæ persuadere a suo Principe jubebatur, quatenus Synodum in Tridentina urbe restaurare, hacque super re clarum reddere vellet responsum, in quo disertis verbis conditiones, quas præscribere bene visum fuerit, eo fine exponeret, ut Germaniæ Protestantes ad illas consensu suo firmandas adigi possent, hocque pacto haud ultra in dubio, ac incertitudine versari, necesse esset. Julius Cæsaris postulata per Mendozam edoctus omnes Cardinales convocari jussit, donec vero hac super re deliberatum fuisset, ex Germania Sebastianum Pighinum Archiepiscopum Sipontinum revocavit, ut ab eo de præsentis rerum statu circa Religionem in Imperio certiore hauriret notitiam, spe fretus, quod eundem paulo post remittere posset ad Lippomanum, & Bertanum, qui in Cæsaris aula remanserant. Porro quamvis in hoc Patrum Senatu Cardinalium opiniones in diversa abirent, nihilominus post

Sæcul. XVI
A.C. 1550.
post maturas deliberationes unanimi suffragio in id conventum est: quoniam Cæsaris petitio specioso innititur obtentui, quo ipse Germaniam ad Sedis Apostolicæ obsequium redire, ac Religionem Catholicam revocare peroptat, sine populi offensione ejus precibus repulsa dari nequit, quinimo Tridentinæ Synodi restorationem denegare perinde esse videtur, ac si tacite declararetur, quod illius dissolutio in animo habeatur: igitur Cæsaris precibus benignas omnino aures esse accommodandas decernebatur. Hæc Patrum sententia ipsi etiam Pontifici magis expedita videbatur ad declinandas omnes molestias, quas forte Imperator eidem inferre potuisset, aliunde vero, si Synodum Bononiæ congregare voluisset, prius translationis causam a Paulo III. ad suum Tribunal evocatam decidere oportuisset, cum tamen id sollicitè præcavendum esset.

§. IX.

*Pontificis opinio Cardinalium, atque
Episcoporum judicio consona.*

Pallav. l. 11. c. 8 n. 5. & 6. Priusquam Pontifex suum animi propositum palam faceret, Cardinales unacum nonnullis Episcopis potissimum Cæsareis, aliisque sibi addictis con-